

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z

CXXVII.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

*S. in Christo, qui est vera & unica salus nostra. Reverende
& Clarissime Domine Doctor, amice observande.*

Colloquium quod cum filiis tuis, cum hac transfiret, mihi intercessit, tum propter præclaram ipsorum eruditionem & humanitatem, tum vero propter multas illustres sani & pii de controversiis Ecclesiasticis iudicii significationes, suave & jucundum mihi fuit, atque utinam meam erga parentem & filios benevolentiam illustri aliquo officio ipsis potuissim probare & testatam facere. Literas ipsis inscriptas, quas nuper accepi, per certum hominem Rostochium euntem ipsis tradendas curavi, quas verò huc discedentes ad te mittendas apud me reliquerunt, illas mereatori cuidam tradideram, sed post longum tempus eas mihi retulit, eas igitur nunc tibi mitto. Tubingensium Confessionem intelligo ita accipi, quod à nostra non dissentiat; Sed gratiam, quam habere & potuerat & debuerat, magna ex parte non invenit, propterea quia edita est non suo tempore, cum à bonis omnibus expetebatur, sed post festum, quod dicitur, quia non habuit testimonium subscriptionis, seu potius consensionis Ecclesiarum Superioris Germaniæ, id quod ab omnibus expectabatur, & multum prodesse potuisset communi causæ, & quia tam timidè agit, ut vix à longè ausit subindicare, quibus opposita sit, &c. Per insidias, non aperto Marte suam agunt Witebergenses, non enim audent erumpere, metuentes Electorem Saxonicum, qui magis fuisset motus, si Tubingensis confessio opposita fuisset communi omnium Suevicarum Ecclesiarum, ἀλλὰ τὴν ἡμετέραν ἰσορροπὴν ἐχθροὶ πρὸς. Nuper ad nos allatum est scriptum quoddam Heidelbergensium, complectens narrationem historiæ de formula Concordiæ, Anno 1536. constitutæ, cui ut opponatur alia vera narratio & declaratio, utilitas Ecclesiæ omnino flagitat. Nobis vero in hisce aut in vicinis locis historia illa non satis est perspecta. Non dubito autem, in vestra Ecclesia extare plenam annotationem illius historiæ. Diligenter itaque oro, ut re bene considerata ex veris annotationibus certum aliquid gravi narratione opponatur istis Heidelbergensibus chartis, atque quamprimum me edoceas, quod hac de re vestrum sit consilium, vehementer oro. Bene & feliciter in Christo vale. Brunsvigæ, 26. Februarii, 1573.

I.

Martinus Chemnitius.

CXXVII.

Salutem in Domino.

Partiar ea, quæ significanda vobis puto, meo more; ut ad te, mi Erasme, de Ecclesiâ scribam, ad M. Philippum de Schola. Cum Consuli Lorchero
LII 2

designato de more fieret Gratulatio, prolixis ille quidem verbis omnia pollicitus est, quæ ad Ecclesiæ utilitatem possent pertinere. Nominatim etiam instituti de Disciplina meminit, idque pernecessarium fassus, in eo conficiendo operam suam studiumque minimè defuturum ostendit. Sed quàm veremur, ne verba hæc sint hominis, ut nunc loquuntur, Politici. Itaque ea quidem in parte adhuc hæremus, & revera, ut scribis, Saxonis ministris infeliciores sumus. Cætera se habent rectè per Fratrum concordiam, quam unius Heri reverentia sustinet. Heri sepelivimus magno cum dolore M. Plinckelium, qui novem ferè menses post Conjugis obitum, primum febrili laboravit, inde colicis doloribus, postremò tympanitide, & hac ferè mensem, quo equidem mense sæpè cum eo fui, & ipse magna cum voluptate, ut aiebat, vestri sæpè meminit. De Illyrico scimus, mense Octobri extremo, decretum esse factum de ejiciendo eo sub primum ver. Jam quomodo diutius hæreat, nescimus. Ego post absolutam Augustanæ Confessionis explicationem, mense Decembri caperam, articulum de Peccato Originis repetere, rogatu aliquam multorum Theologiæ studiosorum. Sed Illyrici rabies, qui publicam refutationem minabatur, ab instituto nolentem me nolente Hero revocavit, cum quidam, & in his Liptizius, conquererentur, plus satis jam ante esse turbatum, quasi verò bona omittenda sint, ne mala eveniant; maximè cum ego ne nominare quidem Illyricum constituissem, sed de ipsa tantum re dicere, quod verum esse non dubitarem, *ὐκ ἔστι τούτ' ἰταρῶς*. De disputatione quod quæris, interfuit quidem & is, de quo quæris, sed quod mirabar, nihil movit. Puto tamen, ab eo subornatum fuisse, qui ex illo: Illuminans omnem hominem, nescio quid de Prædestinatione artulerat; cui tamen cum quadam Auditorii approbatione existimo me respondisse. Nunc ad aliam Disputationem accingor, pro M. Floro habendam, nam ipse recusat: Herus autem ad nundinas opinor disputandum. Pertexam contra Schwenckfeldianos, ac Anabaptistas ea, quæ sunt de verbo scripto, itemque prædicato, & de veteri Testamento. In Sturmii, & consortum, (ita enim appellantur à se ipsis) maledico scripto nihil vehementer novum est, quin in Declaratione legeritis; nisi quod prodigiosis calumniis à Germanico Rhetore Beuthero omnia sunt amplificata. Crebra & invidiosa vestri meique memoria. Sed jam responsum ab Hero est graviter, & puto sequente hebdomade exhibiturum Magistratui. Hoc quia nominatim petebas, putavi adjiciendum. De vobis fuimus profectò solliciti, quod tanto tempore nihil acciperemus. Et certè te ex pedibus doluisse ego quoque doleo. Spero autem, vos mense Majo, aut summum Junio, incolumes hic fore. Dn. D. Chytræo, cui me video à vobis commendatum esse, gratias ages pro misso munere, quod ego si ostentare me negem amicis hominibus, mentiar. Cæterum quod vestras me nullas accepisse conquestus

tecum

tecum eram, volui hoc significare, desiderare me vehementer, non autem officii tanquam neglecti accusare. Nam vestrum quidem animum ita cognitum mihi arbitror, ut non sine necessaria causa scriptionem vos intermittere certo mihi persuadeam. Ego deinceps ero, qui esse debebo, & quem me habetis esse studui. Bene in DOMINO vale, amantissime mi Erasme. III. Non. Martii, 1573.

Tuus in DOMINO frater

Johannes Pappus.

CXXVIII.

S. Mihi quoque accidit, optatissime mi Philippe, ut quas ad te literas institueram, eas considerim. Jam enim non literas à vobis, sed vos ipsos expectabamus. Sed hæc ut sint, valere vos & strenue rem gerere gaudeo. Spero etiam brevi vos redituros, ut istorum, quæ hic aguntur, spectatores ab una, ab altera parte actores sitis. Quæ autem in Schola à proximis literis evenerunt, hæc ferè sunt. Golius, qui hoc toto anno adversa valetudine fuit, nondum docere cæpit. Ejus vices subeunt Sturmii in Sophisticis Elenchis, Erythræus in magnis moralibus, uterque suum internum munus negligens. Nec est, quod Erythræum in hoc grege mireris; jam diu est, cum spe Canonatus recuperandi à nobis se abdicavit. Sed *inquit* aliquando *δικη ἀλιτρου*, Superiore conventu conabantur nobis obtrudere Hawenreutherum ad disputationem publicam, sed fortiter Giphanius noster restitit, qui sibi id laboris poposcit, & pervicit. Nobilem Kittenhemium scis ducta uxore hic habitare. Is & in Senatum lectus & Scholarchis, ex duobus, qui solent, unus adjunctus est, homo nobis amicissimus, illi factioni infensissimus. Mirum erit, quam atroces calumnias lecturus aliquando sis in Sturmii & confortum libro; dicas, maledicendi studio omnibus istos antecellere. Criminationes tamen eadem, quæ in Declaratione. Exitum nondum videmus, sed de DEI tamen misericordia, in causa præsertim bona ita speramus, ut debemus. Et tua ad Herum epistola, die D. Thomæ scripta, mirum quam ei placeat: Et est certè scripta prudenter, doctè, religiosè. Ab altera parte negare non possumus, quin quotidie fastus crescat & insolentia. Sed ita oportere arbitramur, ubi lapsus sit propinquus. Non enim ignoras Salomonis sententiam, omnium temporum experientia confirmatam. Noster Archimedes publice fassus est, se Cometem XV. demum Novembris, admonitum amici cujusdam Parisiensis literis animadvertisse. Sed triduo ante à Dn. Flinnero, & me, quem ego domi nostræ cœnatum officii causa deduxeram, notatus fuit,

LII 3

Quod